

**Disputatio medica, inauguralis, de apoplexia ... / Eruditorum examini
subjicit Eugenius M'Swiny.**

Contributors

M'Swiny, Eugene.
University of Edinburgh.

Publication/Creation

Edinburgi : Excudebant Adamus Neill et Socii, 1805.

Persistent URL

<https://wellcomecollection.org/works/bdr9ghsq>

License and attribution

This work has been identified as being free of known restrictions under copyright law, including all related and neighbouring rights and is being made available under the Creative Commons, Public Domain Mark.

You can copy, modify, distribute and perform the work, even for commercial purposes, without asking permission.



Wellcome Collection
183 Euston Road
London NW1 2BE UK
T +44 (0)20 7611 8722
E library@wellcomecollection.org
<https://wellcomecollection.org>

DISPUTATIO MEDICA

INAUGURALIS

DE

APOPLEXIA.

DISCIPULI MEDITA

PARABOLAS

APOTHEXIA

DISPUTATIO MEDICA
INAUGURALIS

DE

APOPLEXIA ;

QUAM,

ANNUENTE SUMMO NUMINE,

EX AUCTORITATE REVERENDI ADMODUM VIRI,

D. GEORGII BAIRD, SS.T.P.

ACADEMIÆ EDINBURGENÆ PRÆFECTI;

NECNON

AMPLISSIMI SENATUS ACADEMICI CONSENSU, ET

NOBILISSIMÆ FACULTATIS MEDICÆ DECRETO;

Pro Gradu Doctoris,

SUMMISQUE IN MEDICINA HONORIBUS AC PRIVILEGIIS

RITE ET LEGITIME CONSEQUENDIS ;

ERUDITORUM EXAMINI SUBJICIT

EUGENIUS M'SWINY,

HIBERNUS ;

SOCIET. REG. PHYS. EDIN. SOC. HONOR.

ATQUE PRÆSES ANNUUS ;

NECNON

SOCIET. NATUR. STUDIOS. EDIN. SOC.

Plurima mortis imago.

VIII. Calend. Julii, horâ locoque solitis.

EDINBURGI :

EXCUEBANT ADAMUS NEILL ET SOCII;

1805.

DISPUTATIO MEDICA

PROE INAUGURALI

DE

APOPLEXIA

GENA

IN ACADEMIA MEDICA GENOENSIS
PUBLICE PRONUNCIATA

D. GEORGII BAIARDI S.T.P.

ACADEMIAE MEDICAE GENOENSIS

PROFESSORIS

ACADEMIAE MEDICAE GENOENSIS
PUBLICE PRONUNCIATA

PROE INAUGURALI

IN ACADEMIA MEDICA GENOENSIS

DE LEGITIME COMITIBUS

REPUBLICAE GENOENSIS

EUGENII MANTINI

PROFESSORIS

ACADEMIAE MEDICAE GENOENSIS

REPUBLICAE GENOENSIS

PROFESSORIS

ACADEMIAE MEDICAE GENOENSIS

GENAE

VII. CALEND. JUNII, MDCCCXXXIII.

GENA

EXCUBANT ADAM DE KELL ET SOCIJ

GENA

1833.

ROBERTO HEDGES

DE MOUNT HEDGES

ARMIGERO,

OMNIBUS,

QUÆ HOMINEM ORNANT,

VIRTUTIBUS

PRÆDITO ;

HAS STUDIORUM PRIMITIAS,

OB MULTA

IN SE SUOSQUE BENEFICIA

COLLATA,

ANIMI GRATISSIMI PIGNUS

SACRUM ESSE

VULT

AUCTOR.

ROBERTO HEDGES

DR. ROBERT HEDGES

JOHN W. HEDGES, M.D.

AMSTERDAM

1875

QUE HOMINEM ORNANT

VIRTVTIES

FRANCO

THE UNIVERSITY OF CHICAGO

1875

IN AN ENGLISH TRANSLATION

COLLECTA

ANIMUS GRASSINI FIDELIS

1875

LECTOR

NECNON,

VIRO EXIMIO

JOANNI CALLANAN, M. D.

IN URBE *CORCAGINIENSI*

ARTEM APOLLINAREM,

SUMMO CUM SIBI HONORE

ET CIVIUM COMMODO,

HABENTI ;

VIRTUTIBUS,

MORUM ELEGANTIA,

DOTIBUSQUE OMNIBUS,

QUÆ HOMINEM EXORNARE POSSUNT,

SPECTATISSIMO ;

HOC

PERQUAM DEVINCTI ANIMI TESTIMONIUM,

PALAM OFFERT

AUCTOR.

MEMOR

VIRO EXIMO

IOANNI CALLANAI, M. D.

IN URBE CORCORANTIENSI

ARTEM APOLLINAREM,

SUMMO CUM SIBI HONORE

ET CIVIUM COMMODO,

HABENTI;

VIRTUTIBUS,

MORUM ALEGANTIA,

NOTIUSQUE OMNIBUS,

QUE HOMINEM EXORNARE POSSUNT,

SPERATISSIMO;

HOC

EROGAM DIVINCTI ANIMI TESTIMONIUM,

PRIMI MARCHI

AVCTOR.

DISPUTATIO MEDICA

INAUGURALIS

DE

A P O P L E X I A.

LEGIBUS hujusce præclarissimæ Academiam, quæ, omnes eos lauream Apollinarem ambientes, aliquid diligentiam suam specimen in lucem proferre sanciant, obtemperans, de *Apoplexia*, in paginis sequentibus, pauca disserere decrevi; morbus quo, sive symptomatum sævitiam, accessus rapiditatem, stragesve luctuosas quas inter homines quotidie edit, nullus, medici attentionem peritiamque, majore jure sibi vindicat.

A

Ab

Ab CULLENO illustri sic aptissimè definitur: “ Motus voluntarii ferè omnes imminuti, cum sopore plùs minùs profundo, superstitite autem motu cordis et arteriarum *.” In hac definitione, et admodum rectè, me iudice, *respirationem stertoream* quæ, ab omnibus ferè auctoribus, hujus morbi indicium putabatur, prætermisit; quippe quæ, in paroxysmis etiam violentissimis, non semper occurrit. Et solertiâ solitâ, *Catalepsiam*, *Comam*, *Cataphoram*, sub Apoplexiæ genus collocavit, utpotè ab ea solummodò gradu discrepantes.

MORBI HISTORIA.

APOPLEXIA aliquando hominem derepentè corripit, et, haud secùs ac fulmine ictus, miser humi prosternitur; sed multò sæpiùs, varia antecedunt symptomata, accessionis insequenturæ præsagia.

Si

* Synops. Nosolog. method. gen. xlii.

Si stupor generalis, vertigo frequens, ad motus quoscunque pigrities, cum somnolentia et incubo, occurrunt; si vox solito tardior fit, si oculorum rubor vel inflammatio, extremitatum torpor et capitis dolores urgent, paroxysmum prævideamus. Nam, ut HIPPOCRATES appositè habet, “ Quibus sunt capitis dolores, “ et sonitus aurium citra febrem, et tenebri- “ cosa vertigo, et vocis tarditas, et manuum “ torpor, eos aut apoplecticos, aut epilepti- “ cos, aut obliviosos fore expecta *.”

Si etiam memoria, quæ olim tenax fuit, nunc subitò socors et obliviosa evadat, aut penitùs pereat, (quod in hoc morbo mirum in modum occurrere observatur); si responsa dentur disjuncta; si muscæ quasi vel scintillæ volitantes oculis obversentur; ad summum, si mœror insolitus vel deliquium animi infestent, paroxysmum adesse judicamus.

Omnia etenim, vel saltem aliqua horum, necesse est occurrere, ut accessionem prævideamus.

* Vid. Coac. Prænot. No. 162. CHAR. tom. viii. p. 861.

deamus. Ætas, habitus corporis, etiamque victûs ratio, ad hanc prospiciendam, multum adjumenti ferrent.

Cùm jam invaserat paroxysmus, facies ferè semper rubet; oculi semiaperti, fixi et quasi vitrei hærent. Respiratio difficilis, irregularis, nonnunquam stertorea fit; sed pulsus ut plurimum plenus, tardus et durus manet. Stercus et urina, inscio ægro, redduntur; sed, nisi cum ani sphincter paralyti resolvetur, alvus semper adstricta est*. Salivæ aucta fit excretio, et spuma circa os collecta hæret. Externi et interni sensus, pariter ac motus voluntarii, torpescunt, vel penitus abolentur, nec amplius ad sua munera valent: muscoli hebescent, nec diutiùs solitos agnoscunt stimulos. Denique, pro modo injuriarum cerebro vel nervis illatarum, omnes corporis animique facultates, debilitantur, perturbantur, vel prorsùs pereunt.

Contigit aliquando ut ab hoc statu homines emergerint, et deinde liberi fuerint ab omnibus

bus

* ONTYD "On Mortal Diseases."

bus hujus generis malis. Fatendum autem est, hos casus felices rarissimè evenire ; sed multò sæpiùs miseram trahere vitam, hemiplegiâ, fatuitate, vel aliquâ aliâ affectione relicta. Hinc illa celeb. BOERHAAVII, observatio : “ Soporosi,—hebetes, pusillanimes, vertiginosi, remanere solent *.”

Nonnunquam faustè solvitur morbus vomitu spontaneo †, hæmorrhagiâ, sudore profuso, vel aliquâ aliâ exinanitione.

Quum autem deglutitio et respiratio difficiles evadunt ; quum pulsus debilis, parvus et intermittens fit ; quum potus per nares redditur, et convulsiones violentæ subeunt ; cum sudore frigidiusculo partiali, hic et illic guttatim cuti hærente ; nulla spes superest, hæ namque teneras vitæ viriumque reliquias citò præcipitant.

DIAGNOSIS.

* Aph. 118.

† HÔME, Princip. Med. p. 226.

DIAGNOSIS.

MORBI historiam hæcenus tantùm exhibuimus : nunc de discrimine quod eam inter et morbos maximè ei cognatos adsit, dicendum est. Eorum, Hysteria, Syncope, Epilepsia et Ebrietas maximè observatione dignæ sunt. De singulis itaque nuuc ordine dicendum est.

Ab Hysteria

facilè dignoscitur apoplexia, dolore lateris sinistri pungente (qui in illa ferè semper occurrit), simul cum sensu globi in ventre volventis, ad fauces ascendentis et ibi suffocantis. Ægri ætas quoque magnoperè adjuvabit ; nam hysteria rarè post trigesimum, apoplexia ferè nunquam ante quadragesimum adoritur annum.

Ab Syncope

apoplexiam facillimè dignoscimus ; in hac etenim actio cordis et arteriarum, et respiratio,

tio, superstites sunt ; in illa autem vel omninò cessant, vel tam exiliter perficiuntur, ut vix aut ne vix quidem sensibus acutissimis detegi possint. In syncope facies fit pallida ; in apoplexia autem rubra et turgida observatur. In syncope, oculi clauduntur ; in apoplexia, semiaperti et fixi. Ab ætate etiamque temperamento ægroti, ad diagnosin formandam, multùm discimus : syncope enim juniores, et maximè eos nimiâ sensibilitate præditos, et idcirco fœminas potiùs quàm viros ; apoplexia seniores, et præcipuè eos temperamenti fortioris, et ergo viros, adoritur.

Ab Epilepsia.

Multo magis attentionis exigit, diagnosin satis firmam, inter epilepsiam et apoplexiam, quàm inter apoplexiam et syncopen vel hysteriam, reddere ; scilicet, quia in utrisque sensus omnes hebetentur vel abolentur ; nec potest epilepticus citiùs quàm apoplecticus, etiam candente ferro cuti imposito, incitari. Tametsi, satis accuratè discernitur, convulsionibus, quæ, totum epileptici corpus agitant, in apoplectico

plectico absentibus, vel saltem latus unum tantùm occupantibus ; sed certiùs adhuc dignoscitur sensatione illâ, quæ vulgò *aura epileptica* nuncupatur, paroxysmum antecedente.

Ab Ebrietate.

Apoplexia aliquando, haud sine difficultate ab ebrietate distinguitur ; veruntamen discrimen examussim fieri potest somno, in ebrio, minùs profundo quàm in [apoplectico existente ; nam sensuum organa fortiter stimulando, plerumque excitari potest ebrius, violentissimis autem apoplecticus, non.

CADAVERUM SECTIO.

MORBORUM arcana, quæ mentis aciem toties eludunt, perspectum habere, nihil magis spectat, quàm cadaverum sectio ; et in nullo quocunque morbo, tam clarè elucescunt effectus ejus felices, quàm in apoplexia.

Ab observationibus celeb. MORGAGNI et aliorum, liquet, apoplexiam sanguineam, ab nimia vasorum distentione, vel extravasatione

tione, potissimum induci. Nonnulli haud parvi nominis, inficias eunt, apoplexiam, ab vasorum nimia distentione unquam posse ori: sed LIEUTAUD, WILLISII, &c. dissectiones, sic induci satis planè ostendunt.

Extravasationem autem, vel inter duram et piam matrem, inter calvariam et duram matrem, vel in ventriculos, frequentiùs, quàm ulla alia causa, apoplexiam inducere, illust. JOHANNIS HUNTER et GEORGII FORDYCE dissectionibus satis luculenter comprobatur; quorum hic in cadaveribus nonaginta et octo eorum, quos apoplexia extinxit, extravasationem fieri invenit.

His observationibus fretus, nonne inferre fas est, compressionem ab extravasatione vel vasorum nimiâ distentione, facultatis nervosæ transmissionem, quocunque modo occurrentem, apoplexiæ sanguineæ causam proximam esse? Cerebri ipsius substantia variis modis affecta invenitur; aliquando multò durior, sæpè multò mollior et flaccidior; nonnunquam tumores vel tubercula, quandoque ulcera depascentia, vel gangræna, apparent. Om-

nia ejus vitia enumerare, sicut dissectionibus apparuere, supervacaneum foret, utpote plerumque insanabilia.

CAUSÆ PRÆDISPONENTES.

OB varias, quas omnia faciunt vasa convolutiones, postquam calvariam intraverant, haud absimile videtur, Naturam institutum habere, aut, sanguinis in capite circuitum morari, aut, impetui ejus, si qua ex causa augeatur, occurrere. Itaque, de causis quæ sanguinem ad caput præcipuè impellunt, nunc tractabimus.

Ætas senilis.

Plurima, hanc ætatem, speciatim, apoplexiæ proclivem esse monstrant; sed nulla res tam lucidè, quàm plethora venosa, quæ tunc vitæ temporis occurrit. Talem corporis statum, nunquam existere nonnulli affirmant. Sed celeb. WINTHRINGHAM experimenta, me iudice, proculdubiò demonstrant.

Caput magnum,

ab omnibus ferè auctoribus, inter apoplexiæ causas prædisponentes enumerabatur; sed mihi videtur nullo alio modo prædisponere, quàm habitum corporis robustam indicando. Nam, prout magnitudinem, eò majorem sanguinis copiam ad sustinendam exigit.

Cervix brevis.

Omnibus satis patet, quò magis propinquum caput sit cordi, eò majore vi, sanguinem in id propelli, et nemo non scit, arteriarum actionem validiorem esse cor juxta, quàm in partibus magis dissitis; idcirco apoplexiam, frequentius, tali cervice præditis, quàm iis longo collo instructis, in quibus sanguis, averso flumine in caput mittitur, occurrere. Meritò igitur inter causas apoplexiæ prædisponentes collocatur cervix brevis.

Obesitas,

ob compressionem, quæ, in omnia fit vasa, sed præsertim ob pulmonum actionem impeditam, liberum sanguini per eos transitum negantem,

negantem, satis verisimile est, in encephalo congestionem fieri, et sic apoplexiam induci. Inter causas, quæ hominem huic morbo proclivem reddunt, jurè igitur enumeratur.

Multæ aliæ causæ, quæ apoplexiæ prædispositioni favent, ab auctoribus memorantur; sed de omnibus sigillatim agere, nec prodesse nec oblectare potuit.

CAUSÆ OCCASIONALES.

CAUSÆ suprâ recensitæ, morbo prædispositionem tantùm accendunt: alias occurrere necesse est, ut homo apoplecticus concidat: earum frequentiores nunc enumerabimus.

Exercitium vehemens,

præcipuè post pastum, quum, paulò difficilis et anhelosa respiratio evadit, et vasa magna aliquatenus comprimuntur, et major in encephalon sanguinis copia impellitur, haud rarò apoplexiam inducit.

Pathemata

Pathemata animi violenta,
 ira, gaudium, &c. cursu incitatio-
 nem caput versus propellunt, haud tam facilè
 ob respirationem laboriosam reducendum,
 sæpè apoplexiæ originem præbent. Cùm ali-
 quis irâ accenditur, totum corpus æstu exa-
 gitatur, cordis et arteriarum actio multùm
 intenditur, oculi torvi et micantes, tantùm
 prominent, ut ex orbitis prosilire videantur,
 et tota facies rubore excandescit:—

“ Ora tument irâ, fervescunt sanguine venæ,

“ Lumina Gorgonio sæviùs angue micant.”

OVID.

Respiratio etiam multùm turbatur; quis enim non videbat respirationem brevem et anhelosam fieri in iis, subitò irâ accensis? nec priùs sedantur, quàm respiratio turbata componatur, alto et de imo pectore suspirio ducto. Hinc VIRGILIUS concinnè exprimit, dum iratum Neptunum acriter ventos increpantem, depingit:

“ Quos ego—sed motos præstat componere fluctus.”

Subitæ temperiei mutationes balnei calidi,
 vini abusus, sternutationes violentæ, ventricu-

li infarctio, decubitus supinus, in primis viis cruditates, haud rarò apoplexiæ causæ occasionales evadunt.

PROGNOSIS.

IN morbo tam periculoso, prognosis semper infausta est. Tamen paroxysmi severitate, ætate, temperamento, etiamque habitu corporis ægri, judicamus. Senibus enim plethoricisque, lethalis ferè semper evadit.

Symptomatum violentia, ad prognosin formandam etiam multùm adjuvabit. Quum enim sensus omnes, interni pariter ac externi, abolentur; quum respiratio et deglutitio difficiles fiunt, potusque per nares redditur, et os ad unum latus distrahitur, pessima sunt signa. Quum autem ronchi vehementes trahuntur; quum spuma circa os collecta hæret, quumque ani vesicæque sphincteres paralyti resolvuntur, cum sudore frigido partiali,—conclamatum est; nam symptomatibus hisce rarissimè ullus emergit.

Signorum

Signorum suprâ dictorum absentîâ, causarum excitantium tenuitate, viribusque ægri adhuc validis, morbi levitas decernitur.

Fausta erit etiam prognosis, si, remediis usitatis morbi vis refrangatur: sed si, ut MACBRIDE * monet, intra quatuor dies haud levetur morbus, mortem vel hemiplegiam prætimeamus.

Auctores nonnulli, hunc morbum, sudore profuso, hæmorrhagiis largis vel aliis exinationibus, solvi narrant. Sic HIPPOCRATES, quum de morbi solutione febre loquitur, habet: “ Quibus sanis dolores fiunt derepentè
“ in capite, et statim muta evadunt ac ster-
“ tunt, in septem diebus pereunt, nisi febris
“ prehenderit.”

PRO-

* L. I. vol. ii. chap. I.

PROPHYLAXIS.

QUONIAM nullus cum quo versamur morbus, in insultibus gravior, aut sanatu difficilior, apoplexiâ, omnium interest, quantum in illis sit, accessiones præcavere; et ad hoc conficiendum, nihil magis valet, quàm ad *vitæ victûsque rationem* attentio. Neque debet quisquam desperare de bono hujusce vivendi normæ exitu; nam hæc, remedium certius, nec ratio dedit nec fors objecit.

Regimen antiphlogisticum observare; exercitium modicum usurpare, vegetabilibus et rebus acescentibus vesci, liquores omnium generum ardentibus evitare, cœnam vel omninò omittere vel parcissimâ uti, denique alvum catharticis lenibus solutam servare, debet. Illos omnes, qui, præsentia mala amoliri, vel futura præcavere cupiunt, a nimio somno abstinere debet; nihil enim, homines ad plethoram proclives magis reddit, aut vires ma-

gùs labefactat ; et, ut eximius auctor dicit *
 “ Excessus quoque somni haud parùm no-
 “ cet ; totum hominem torpidum, debilem,
 “ hebetem, ferè fatuum, reddit ; motum san-
 “ guinis languidum facit, et plerasque secre-
 “ tiones et excretiones minuit ; hinc plenitu-
 “ do, obesitas, flacciditas, et ad omnia vitæ
 “ munera impotentia.”

Quanquam hæc vivendi ratio plerumque coli debet, tamen aliquando necesse est, victum lautiozem concedere, aut quia æger, senex et debilis est, aut quia habitus pristini, quos subitò derelinquere periculosum foret, postulant.

Tabaci abusus quoque magnoperè nocet ; et nisi cùm magnam a capite secretionem facit, rigidè evitari debet hæc planta.

Exercitatio modica summæ utilitatis semper observatur ; nihil enim plethoræ magis obvenit, excretiones et secretiones auget, totumque hominem vegetem agilemque reddit. Sed cautè usurpanda est iis, qui apoplexiæ

C

proclivitatem

* GREGOR. Consp. vol. i. de Somno.

proclivitatem ostendunt : tunc gestatio maximè usûs erit.

Setacea—ab omnibus ferè auctoribus, et in omni apoplexia, commendantur ; et fortassè jurè ; sed, feliciore exitu, in apoplexia ob evacuationes suppressas orta, quàm in ulla alia, usurpantur.

Artuum ligaturæ—ab nonnullis haud parvi nominis auctoribus, quæ venas tantùm comprimunt, laudantur : sanguinis etenim reditum ad cor occurrunt, sed transitum per arterias concedunt ; ob quam causam, sanguis minore copiâ ad caput mittitur.

Denique, omnia quæ sanguinis ad caput cursum incitatiores faciunt, diligentissimè effugi debent.

Calor ab quacunque causa originem ducit, liquores omnis generis ardentis, errhina, et omnia quæ sternutationem violentam vel inspirationem plenam faciunt, sedulò evitari debent.

Pathemata animi violenta, ab omnibus huic morbo proclivibus, etiam reprimi debent : nam, ut antea dictum fuit, sanguinem, mag-

nâ vi copiâque, ad caput propellunt ; et haud pauca ab auctoribus narrantur exempla, eorum quos apoplexia ab hac causa inducta, extinxit.

RATIO MEDENDI.

ANTEHAC, remedia, quæ, ad paroxysmum præveniendum, ab auctoribus, maximè idonea existimabantur, enumeravimus ; nunc de iis, quæ, adstante paroxysmo, efficacissima videntur, tractabimus ; et principio de sanguinis missione.

Sanguinis missio.

Ob compressionem, quam, in cerebrum, aut copiâ aut impetu aut morâ, facit sanguis, oportet eum illicò trahi et liberaliter et ex magno vulnere ; sic enim citiùs a capite fit revulsio. Ex vena jugulari, si opportunè fiat, detrahatur. Si non, ex vena brachii ; et si adsit hemiplegia, resolutò oppositi. Primo intuitu, a quo brachio mittatur, haud interesse videret ;

ret; sed observationibus MORGAGNII, WEP-
 FERI, et aliorum, aliquid attentionis mereri
 liquet. Nam in omnibus ferè cadaveribus
 eorum, qui apoplexiâ mortui sunt, eam cere-
 bri hemispheriam, quæ lateri affecto, e regio-
 ne sit, morbidam inveniêrunt. Quantitatem
 sanguinis mittendam, symptomatum severitas,
 vires habitusque corporis ægroti, docebunt;
 sed circiter uncix quatuordecim tutò trahan-
 tur. Si primâ venæsectione symptomata haud
 leventur, post duas tresve horas, vel sicut res
 postulant, iterum mittatur; tunc quidem ar-
 teriæ temporalis scarificatio magnoperè juva-
 bit.

Cucurbitulæ.

Cucurbitulæ occipitio admotæ, MORGAGNIO,
 MEADIO, et alii, multùm laudantur; et certè
 utilissimæ sunt; præsertim, cùm sanguis lar-
 giter ex alia parte effusus est, vel, ut haud
 rarò accidit, sanguinem venæ non emittunt.
 Sic ARETÆUS, de cucurbitulis, habet: “ Cum
 “ morbus diu protrahitur et caput in causa
 “ est, cucurbitulæ occipitio affigendæ sunt,
 “ et

“ et sanguis largiter hauriendus ; plus enim
“ quàm venæsectio proficiunt, et vires nequa-
“ quam labefactant.”

Cathartica.

Medicamenta nulla, diutiùs vel usitatiùs, in omnibus capitis affectionibus, et ab omnibus ferè medicis, præscripta fuêre, catharticis, et ob revulsionem quam a capite faciunt, certè locum sanguinis missioni secundum postulant ; et quoniam in hoc morbo alvus plerumque adstricta est, præcipuè necessaria sunt. Eorum usitatissima sunt, Infusum tamarindorum cum senna, Supertartris potassæ, Suburias hydrargyri, &c.

Cùm autem devorandi facultas amissa est, vel vomitus frequens urget, ad Clysmata statim confugiendum est : sed oportet ea nec acria nec calida esse : aliquid infusum in alvum proderit, intestina exinaniendo, pariterque excitando. Medicamenta autem valentiora prorsùs sunt aliena.

Quoniam verò, in apoplexia gravi, sphincter ani sæpè resolvitur, Suppositoriis utendum est, vel si, his, motus intestinorum peristalticus

haud

haud incitetur, Nicotianæ fumi in anum insufflari possunt, quoniam id facere necessitas cogit: Sed prudentissimè, ne, nervorum vis priùs languida, nunc penitùs aboletur.

Emetica

ab nonnullis in hoc morbo multùm laudantur: sed nemo sanæ mentis, inficias ibit, periculi plena esse, in morbo quo, encephali omnia vasa, aut sanguine multùm distenduntur, aut effusio ab ruptis vasis facta fuit. Quis enim, inter vomendi conatus, non videbat, sanguinem majore vi in caput propelli, faciem rubescere, et omnia vasa sanguine turgida fieri? BURSERIUS* mentionem facit, se non semel vidisse hemiplegiam lenem, ob emeticum ab aliis datum, in apoplexiam fortem et lethalem transisse. MORGAGNIUS idem memorat. Itaque in nullo tententur casu, nisi fortassè in apoplexia ab ventriculi repletione, et post pastum adorta, et ne tunc etiam nisi priùs sanguis trahatur. In nulla hujus morbi

* BURSERIUS, lib. iii. chap. 4. p. 89.

morbi specie vomitum elicere oportet, per vehementius medicamentum, quàm aquam ex carduo benedicto †; atque hæc tum solùm expedit, cùm nausea ægrum fatiget; tunc enim ejus beneficio nausæ discutietur, et quicquid ventriculum gravabat summovebitur.

Vesicatoria.

Ab omnibus ferè auctoribus vesicatoria ad hujus morbi sublevationem, multùm commendantur. Præter TISSOTIUM, neminem scio, qui ea, in apoplexia minùs tuta esse, dicit. Ob revulsionem, quam in omnibus inflammationibus faciunt, satis verisimile est, multum adjumenti in hoc morbo adferre. Celeb. CULLENUS, ea quàm proximè parti affectæ collocanda monet.


Nonnulla alia remedia revellentia, ab auctoribus memorantur; et quanquam tam citò aut efficaciter revulsionem haud faciunt, tamen multum auxilii ferrent, et in morbo
adeò

† HEBERDEN, Comm. p. 302.

adeò periculoso nihil intentatum relinqui debet.

In semicupio pedes locari, et ad pedum plantas sinapismi applicari debent: in camera temperata, cum trunco corporis erecto, poni; caput nudari, et sæpiùs, fortassè, caput aquâ frigidâ lavari debet: laxatis simul omnibus circa collum, pectus et abdomen, vestimentis.

F I N I S.



DISPOSITIO MEDICA

IN LIBRO PRIMO

USU AQUAE FRIGIDAE

IN FEBRIBUS